



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae, 1611**

De desperatione, quam aliquando peccator incurrit. Cap. 12.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

*De desperatione, quam aliquando peccator incurrit.*

## CAP. XII.

**C**onsidera, fili, quia non est aliud nomen sub cœlo, præter meum, in quo te oporteat saluum fieri. Noli errare spem tuam ponens in rege Aegypti, qui est balculus atundineus, super quem si quis innitatur, perforabit manum eius. Ego vici mundum, mortem, & infernum, & propterea qui me offendit, & confugere curat ad fauores & delicias hominum, qui non sunt confortes victoriae meæ, incidit in dejectionem animi, quæ poena acerbissima est. Caret gratia mea, quæ generat spem viuam æternorum bonorum, & videns se nihil dignum æterna vita operari, frangitur, & debilitatur, usque ad tristissimam desperationem, quæ statum damnatorum repræsentat. Hic est fructus ambitionis quærentis honores hominū, quorum nomina in terra scribuntur. Hic est fructus auaritiæ, quæ insatiabili cupiditate in terra thesaurizat. Hic est fructus luxuriæ, quæ incibriatur delectationibus carnis, & non cogitat purissima gaudia Spiritus mei. Hic est fructus iræ, quæ facit veloces pedes hominum ad effundendū sanguī-

sanguinem, & non curat numerari intermites seruos meos, qui possidebunt viuentium terram. Denique hic est fructus omnium peccatorum, quando malitia crescit, & anima horret bonum, per quod ad vitam æternam peruenitur. Quid ergo agis, fili? Cur iaces in statu lamentabili, inimicitiae meæ, quæ producit fructum desperationis accelerans mortem, & infernum? Quomodo non misereris animæ tuæ languentis præ defectione virium? Considera dissolutionem tuam, & furorem, quo curris ad flammam, deposita cura salutis æternæ, quasi non supersit tibi spes. Stulte agis, fili, cadens animo, neque cogitans, me omnipotentem esse, & de luto fæcis. Projice de medio tui fordes & pondera peccatorum, quæ dorsum incurvant, & in desperationem impellunt, & suspira ad me auctorem spei, & redemptionis tuę: & liberaberis à seruitute nimis dura, qua opprimeris, & respirabis ad auram Spiritus mei, qui vivificabit ossa tua. Conuertere ad me per opportunam pœnitentiam, quæ salutarem tristitiam secundum Deum generat, & simul lætitificat animam in me renascentem, & à me recipientem pignus hæreditatis æternæ. Sic sperabis, & sollicita anima tua nau-

B. 7 gans

gans per mare magnum fundabitur iacta  
anchora spei firmissime, quā ego acquisi-  
ui tibi pretiosissimo sanguine & inæsti-  
mabili charitate mea.

*De infidelitate, quam periculum est, ne  
peccator incurrit.*

CAP. XIII.

**E**go Altissimi Dei filius sum lux mun-  
di, & iusto iudicio punio peccatorem  
qui odit me, interioribus tenebris, quibus  
obscuratur intellectus. Quod malum ad-  
cō graue & formidabile est, vt aliquando  
infelix peccator multiplicando delicta  
in tantum à vera luce recedat, vt infidel-  
itatem incurrit. Recessit à me, & dilexit  
bona terrena plusquam me: ex quo fit, vt  
depravata volūtas ita corrumpat verum  
iudicium intellectus, vt tandem fidem  
catholicam amittat. Sic videre poteris,  
fili, quid acciderit peccatoribus multis,  
qui cum prius in me credidissent, aggra-  
uando peccata auaritię, superbię, gulę,  
aut luxurię, errauerunt à fide, & inserue-  
runt se doloribus multis. Vx illis, qui o-  
derunt purissimam lucem meam, qua  
bonum æternum, & incommutabile co-  
gnoscitur, & bonis creatis anteponitur!

Melius